VICIPÆDIA

America Australis

America australis,[1] seu **meridiana**[2] seu **meridionalis**,[3] est continens[4][5] in Hemisphaerio Occidentali sita, plerumque in Hemisphaerio Australi, parvā parte in Hemisphaerio Septentrionali comprehensa. Continens etiam subcontinens Americarum habetur.[6][7]



Situs Americae Australis

Finitur ad occidentem versus ab Oceano Pacifico, ad septentriones orientemque ab Oceano Atlantico, et ad septentriones occidentemque ab America Septentrionali Marique Caribico. Duodecim civitates liberas (Aequatoriam, Argentinam, Boliviam, Brasiliam, Columbiam, Guyanam, Paraguaiam, Peruviam, Surinamiam, Chiliam, Uruguaiam, Venetiolam) et Guianam Francicam, maritimam Franciae regionem, comprehendit. Civitates Americae Australis quae Mare Caribicum finiunt (Columbia, Guiana Francica, Guyana, Surinamia, Venetiola) America Australis Caribica appellantur.



Tabula Americae Australis.

Americae Australi est area 17 840 000 chiliometrorum quadratorum, paene 3.5 centesimae superficiei Telluris. Numerus hominum anno 2005 fuit plus quam 371 090 000. America Australis per aream geographicam est quarta (post Asiam, Africam, et Americam Septentrionalem) et per numerum hominum quinta (post Asiam, Africam, Europam, et America, Septentrionalem).

Vocabulum *America* a Martino Hylacomylo (1470–1522) et Matthia Ringmann chartographiis anno 1507 excogitatum est, ex Americo Vespucio, primo homine Europaeo qui subiecit terras novissme ab Europaeis inventis non fuisse Indiam, sed Novum Mundum, ab Europaeis adhuc ignotum.

Index

Geographia

America Australis australem massae terrestris Americanae partem occupat. Continens ad boreorientalem ab Hiatu Darien secundum fines Colombiae et Panamae, aut ex nonnullis fontibus potius a Canali Panamensi, ad summam definitur. Omnis quidem Panama—inter quam segmentum ad orientem Canalis Panamensis in isthmo—in rebus geopoliticis et geographicis[8] solum in America Septentrionali,[9][10][11] atque inter civitates Americae Mediae, refertur.[12][13] Paene omnis Americae Australis continens in Lamina Americana Australi sedet. Triangularis massae terrestris forma brevissimum litus, pro eius magnitudine, ullius continentis efficit.



Americae Australis tabula geographica physicalis

America Australis nonnullas insulas propinquas usitate comprehendere habetur. Aruba, Insula Boni Aeris, Insula Curacensis, Trinitas, Tabacum, et provinciae foederales Venetiolae, in septentrionali plutei continentalis Americae Australis parte sedentes, saepe pars continentis putantur.

Praehistoria



Andes sunt longissimi orbis terrarum montes perpetui continentales.

America Australis cum Africa ab Aevo Palaeozoico exeunte ad Aevum Mesozoicum iniens coniuncta est, donec supercontinens Pangaea abhinc annorum circa 225 decies centenorum milium diffindi et dissolvi coepissit. Ergo, America Australis et Africa fossilia et strata saxorum similia habent.



Praehistorica Caverna Manuum (Hispanice *Cueva de las Manos*), Argentinae sita.

America Australis putatur ab hominibus habitari cum homines Pontem Terrestrem Beringianum (nunc Fretum Beringianum) saltem abhinc annorum 15 000 ex terris quae nunc sunt Russia transirent. Qui ad meridiem per Americam Septentrionalem migrabant, et deinde Americam Australem per Isthmum Panamensem attigerunt. Nonnullis inventis archaeologicis hanc doctrinam non sustinentibus, eruditi alteram aboriginum prae-Siberianorum Americanorum dpctrinam proposuerunt.



Machu Picchu, praedium Incarum, in montibus Peruviae situm.

Prima indicia hominum sapientium in America Australi habitantium ex circa 9000 a.C.n. supersunt, cum cucurbitae, capsica, et fabaceae cibo in altis Pelvis Amazonicae terris excoli coepissent. Indicia fictilis praeterea significant mandiocam, quae victus hodie manet, ab 2000 a.C.n. excultam esse.[14]

Civitates

Civitates Americae Australis sunt:

Civitas	Area (km²)	Numerus civium[15]	Densitas? (km²)
Aequatoria	283 560	13 447 494	47.4
Argentina	2 766 890	37 812 817	13.7
Bolivia	1 098 580	8 445 134	7.7
Brasilia	8 543 404	190 029 560	20.6
Chilia	756 950	15 498 930	20.5
Columbia	1 138 910	41 008 227	36.0
Guyana	214 970	698 209	3.2
Guyana Francica (Fr)	91 000	182 333	2.0
Paraquaria	406 750	5 884 491	14.5
Peruvia	1 285 220	27 949 639	21.7
Surinamia	163 270	436 494	2.7
Uraquaria	176 220	3 386 575	19.2
Venetiola	912 050	24 287 670	26.6

Nexus interni

- America Latina
- America (terminologia)
- Capita Americae Australis
- Conus Australis
- Societas Civitatum Americanarum
- Unio Civitatum Americae Australis
- Vexilla Americae Australis

Notae

1. Thomas Garzonus, *Piazza universale* (Francofurti ad Moenum: 1619), p. 273 (https://books.google.com/books?id=mA1fAAAAcAAJ&pg=PA273).
2. Christianus Xaverius Wabst, *De hydrargyro tentamen physico-chemico-medicum* (Vindobonae: 1754), p. 18 (https://books.google.com/books?id=_LRUAAAAcAAJ&pg=PA18).
3. Philippus Ferrarius et Michael Baudrand, *Lexicon geographicum* (Patavii: 1675), vol. 2, p. 34 (https://books.google.com/books?id=xH0bZ4hfUlsC&pg=PA34&q=america%20meridionalis).
4. "South America (http://www.bartleby.com/65/st/SthAmer.html). *The Columbia Encyclopedia (http://www.bartleby.com/65/)*, ed. 6a. 2001–2006. Novi Eboraci: Columbia University Press": "fourth largest continent . . . , the southern of the two continents of the Western Hemisphere."
5. Situs civitatis LANIC. (http://lanic.utexas.edu/subject/countries/)
6. South America, (http://www.bartleby.com/65/st/SthAmer.html) *The Columbia Encyclopedia (http://www.bartleby.com/65/),* ed. 6a (Novi Eboraci: Columbia University Press, 2001–2006): "fourth largest continent . . . , the southern of the two continents of the Western Hemisphere."
7. "LANIC country page" (http://lanic.utexas.edu/subject/countries/). Lanic.utexas.edu.

8. Saul Bernard Cohen, "North and Middle America" (Ch. 5) (http://books.google.ca/books?id=QkMD8HKRlgoC&pg=PA141&lpg=PA141&dq=geopolitical+north+america+panama&source=web&ots=UyJR5f_d7X&sig=i9WFQeiLFUP8R0E8B_qJ8tPoeBw&hl=en&sa=X&oi=book_result&resnum=1&ct=result#PPA147,M1). *Geopolitics of the World System* (2003, ISBN 0-8476-9907-2).
9. "Americas" (http://unstats.un.org/unsd/methods/m49/m49regin.htm#americas) *Standard Country and Area Codes Classifications (M49)*, United Nations Statistics Division.
10. "North America" ex *Atlas of Canada,* (http://atlas.nrcan.gc.ca/site/english/maps/reference/international/north_america/referencemap_image_view) apud atlas.nrcan.gc.ca.
11. *North America Atlas,* (http://www.nationalgeographic.com/xpeditions/atlas/index.html?Parent=nameri&Rootmap=&Mode=d&SubMode=w) apud www.nationalgeographic.com.
12. "Panama," ex *Britannica Concise Encyclopedia,* (http://www.britannica.com/EBchecked/topic/440722/Panama) apud www.britannica.com.
13. Geography: Panama (https://www.cia.gov/library/publications/the-world-factbook/geos/pm.html#Geo) *CIA World Factbook 2008*.
14. Patrick O'Brien, gen. ed, *Oxford Atlas of World History* (Novi Eboraci: Oxford University Press, 2005), p. 25.
15. Aestimatio 1 Iulii 2002.

Bibliographia



Lacus prope Bariloche, in Argentina.

- Adelaar, Wilhem. 2004. *The Language of the Andes.* Cantabrigiae: Cambridge University Press. ISBN 978-0-521-36275-7.
- Aikhenvald, Alexandra Y., et R. M. W. Dixon, eds. 1999. edición=1ª *The Amazoninan Languages.* (http://assets.cambridge.org/97805215/70213/sample/9780521570213wsc00.pdf) Cantabrigiae: Cambridge University Press. ISBN 0-521-57021-2.
- Aubert, Hans-J., et Ulf-E. Müller. 1981. *Südamerika.* Monaci: Bruckmann, 2. ISBN 3-7654-1732-7.
- Bernecker, Walther L., Horst Pietschmann, et Rüdiger Zoller. 2000. *Eine kleine Geschichte Brasiliens*. Edition Suhrkamp 2150. ISBN 3-518-12150-2.
- Civita, Victor. 2007. *Almanaque Abril: Geografia: Mundo: Continentes: América do Sul.* Ed. 33a. Sancti Pauli: Abril.
- Fischer, Thomas. 2006. "Der Linksruck in Südamerika." *Politorbis: Zeitschrift zur Außenpolitik* 41 (2): 6–19.
- Kaufman, Terrence. 1999. "Language History in South America: What we know and how to know more." In *Amazonian Linguistics,* ed. David L. Payne. Austin Texiae: University of Texas Press.
- König, Hans-Joachim. 2006. *Kleine Geschichte Lateinamerikas.* Bonnae: Bundeszentrale für politische Bildung. ISBN 3-89331-723-6.
- Tirico, José Domingos. 1994. "América do Sul." In *Enciclopédia Barsa,* 358–70. Sancti Pauli: Encyclopædia Britannica do Brasil Publicações.

Nexus externi

Vicimedia Communia plura habent quae ad **Americam Australem** spectant.

- America australis, (http://www.geographicguide.com/south-america.htm) apud www.geographicguide.com

- Alain Fabre, *Diccionario etnolingüístico y guía bibliográfica de los pueblos indígenas sudamericanos* (2005), (http://butler.cc.tut.fi/~fabre/BookInternetVersio/Alkusivu.html) apud butler.cc.tut.fi
- Situs (http://www.podermilitar.cl/) apud www.podermilitar.cl

Regiones, civitates et territoria Americae

Regiones	America Septentrionalis · Media America · Insulae Caribicae · America Australis
Civitates	Aequatoria · Antiqua et Barbuda · Argentina · Bahamenses insulae · Barbata · Beliza · Bolivia · Brasilia · Canada · Chilia · Civitates Foederatae Americae · Columbia · Costarica · Cuba · Dominica · Dominicana res publica · Granata · Guatimalia · Guiana · Haitia · Honduria · Iamaica · Mexicum · Nicaragua · Panama · Paraquaria · Peruvia · Salvatoria · Sancta Lucia · Sanctus Christophorus et Nevis · Sanctus Vincentius et Granatinae · Surinamia · Trinitas et Tabacum · Uraquaria · Venetiola
Territoria	Anguilla · Aruba · Boni Aëris insula · Caimanenses insulae · Curacensis insula · Falklandia · Groenlandia · Guadalupa · Guiana Francica · Martinica · Montserrat · Portus Dives · Saba · Sanctus Bartholomaeus · Sanctus Eustathius · Sanctus Martinus · Turcenses et Caicenses insulae · Virginis Insulae Americanae · Virginis Insulae Britannicae

Opus geopoliticum • *Nationes mundi* • *America*
Capsae cognatae: Africa • Asia • Europa • Oceania

Receptum de "https://la.wikipedia.org/w/index.php?title=America_Australis&oldid=3488817"

Novissima mutatio die 26 Novembris 2019 hora 16:00 facta.

Nonobstantibus ceteris condicionibus hunc textum tractare licet secundum "Creative Commons Attribution-ShareAlike License". Vide modos et condiciones.